

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO

*Level Two Medieval Latin Examination*

**13 April 2011**

\*\*\*\*\*

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

\*\*\*\*\*

**1. Walter Map's introduction to the tale of Sadius and Galo**

Sadius et Galo, moribus, estate, forma pares, et armorum erudit sciencia priscique generis nobilitate preclari, paribus alterutrum se diligebant et honestis amoribus, unde satis inter adversa probati, remotis erant et proximis exemplar et prouerbium. Gaudent enim ea felicitate fideles amicicie, quod inter bonos conseruate laudes eciam ab inimicis extorqueant. Erat autem Sadius regis Asianorum nepos, in cuius ipsi pariter palacio militabant, auunculo suo tam tenerrime dilectus, ut non esset ei sine Sadio spiritus aut uita; nec inmerito, quia secundum animi uirtutem et corporis habilitatem erat qualem te uelles fieri. Galo, licet aduena, pari per omnia beatitudine diues, excepto tanto regis amore, suum sepe tacitus flebat infortunium--quod forsitan alii uideretur successus: scilicet quod a regina nimium amabatur et uehementissimis impetebatur assaultibus, in uerbis et signis quibuscumque potest aut flecti rigidus aut emolliri durus aut infatuari sapiens.

## **2. Bede's introduction to the story of the martyrdom of St Alban**

Siquidem in ea passus est sanctus Albanus, de quo presbyter Fortunatus in Laude Virginum, cum beatorum martyrum qui de toto orbe ad Dominum venirent mentionem facit, ait, "Albanum egregium fecunda Britania profert.." Qui videlicet Albanus paganus adhuc, cum perfidorum principum mandata adversum Christianos saevirent, clericum quendam persecutores fugientem hospitio recepit. Quem dum orationibus continuis ac vigiliis die noctuque studere consiperet, subito divina gratia respectus exemplum fidei ac pietatis illius coepit aemulari, ac salutaribus eius exhortationibus paulatim edoctus relictis idolatriae tenebris Christianus integro ex corde factus est. Cumque praefatus clericus aliquot diebus apud eum hospitaretur, pervenit ad aures nefandi principis confessorem Christi, cui necdum fuerat locus martyrii deputatus, penes Albanum latere; unde statim iussit milites eum diligentius inquirere. Qui cum ad tugurium martyris prevenissent, mox se sanctus Albanus pro hospite ac magistro suo ipsius habitu, id est caracalla qua vestiebatur, indutus militibus exhibuit, atque ad iudicem vinctus perductus est.

## **3. William of Newburg on the singular grace afforded the Virgin Mary**

Sane quod nemo umquam tam attente audierit, tam sollicite custodierit uerbum Dei quam illa que dignere et alere meruit uerbum Deum, liquido constat neque aliter credere fas est. Quid enim illi deesse poterat in ulla gratia, que omniformis gratie sacris effudit uisceribus effusorem? Quantum, putas, illi gratie spiritualis infudit, quem illa corporaliter mundissime carnis stola indutum ad oculos humanos effudit? Porro quod ille matri tam large infudit, totum illa in filium deuote refudit. Denique nasciturus ex ea Deus preuenit eam in benedictionibus dulcedinis, impertiendo ei quoddam priuilegium gratie, quandam prerogatiuam iusticie, quoddam decus purioris castimonie, quibus prepararetur ad fetum, id est digna foret que, feta non de carne sed de spiritu, Dei filium corporaliter procrearet. Sic ergo sanctificauit eam ad fetum, sed multo uberius, multo insignius, postmodum ex ipso atque in ipso fetu.

#### **4. Hrotsvit addresses her abbess in the preface to the *Gesta Ottonis***

O mea domna, que rutilanti spiritalis varietate sapientie praelucetis, non pigescat vestri almitiem perlustrare quod vestra confectum, si ignoratis, ex iussione. Id quidem oneris mihi inposuistis ut gesta Cesaris Augusti, que nec auditu unquam affatim valui colligere, metrica percurrerem ratione. In huius sudore progressionis, quantum mee inscicie difficultatis obstiterit, ipsa coniicere potestis, quia haec eadem nec prius scripta repperi, nec ab aliquo digestim sufficienterque dicta elicere quivi; set veluti si aliquis nescius ignoti per latitudinem saltus esset iturus, ubi omnis semita nivali densitate velaretur obducta, hicque nullo duce, sed solo premonstantium nutu inductus, nunc per devia erraret, nunc recti tramitem callis improvise incurreret, donec tandem emensa arboree medietate spissitudinis locum optate comprehenderet quietis, illicque gradum figens ulterius progredi non presumeret, usque dum vel alio superveniente induceretur, vel precedentis vestigia subsequeretur--haut aliter ego magnificarum prolixitatem rerum iussa ingredi, regalium multiplicitatem gestorum nutando et vacillando egerrime transcurri.